

112

110

116

106

121

101

161

061

211

011

97

Quinta die ad insulam S. Helenae Imperatricis navigavimus, et Missam ibi legi Dominis. Post Missam patefecerunt nobis monachi tumbum S. Helenae, et corpus ejus integrum vidimus cum aliis multis reliquiis, et deosculatis ac clenodiis contactis reliquiis in domum nostram reversi sumus. Post prandium in galēam conductam navigavimus, et reperimus, quod patronus ad partem inferiorem cumbarum nostrarum fieri fecit asseres, ut quosdam in eis collocaret ad pedes nostros, ubi debebant ponи calceamenta et urinalia nostra. Diximus autem custodibus galēae, ut patrono dicerent, quod nisi in crastinum illos asseres deponeret, pactum factum irritare vellemus, quia esset contra articulum nonum. Ex hoc facta est dissensio inter peregrinos et patronum. Oportebat tamen eum opus factum destruere, si volebat nos secum retinere. Et ita dispositis cumbis ad hospitium reversi sumus. (B)

Sexta die navigavimus ad Sanctam Luciam, et ibi Officio auditio corpus ejusdem virginis, quod ibi honorifice in tumba reconditum habetur, vidimus, et deosculati sumus, et reversi sumus ad locum nostrum. Eodem die ad forum transivimus, et omnia necessaria ad galēam pro navigatione eminus, culcitrae, lectulos, cervicalia, linteamina, cooperatoria, mattas, amphoras, et caetera pro singulorum cumba. Ego culcitrarum pro me jussi emere repletam pilis vaccarum, et stratos laneos de Ulma mecum tuleram, ut sic dormirem in galēa, sicut in cella. Indignum enim judicavi molliori stratu uti in navi, quam in cella.

Ende

Anfang

Septima die, quae est festum translationis S. Petri martyris, navigavimus extra Venetas in Murianam, et Officium ad Praedicatorum in ecclesia S. Petri martyris audivimus. Et viso ibi Conventu et fratribus navigavimus ad ecclesiam parochialeм, ubi plebanus ostendit nobis in tumba una multa corpora integra de Sanctis Innocentibus, quibus deosculatis transivimus ad fornaces vitriatorum, in quibus arte subtilissima instrumenta vitrea multiformia fiunt; in toto namque mundo non sunt tales vitrorum artifices sicut ibi. Faciunt enim ibi vasa pretiosa crystallina, et alia mira ibi videntur. Quibus, visis navgio Venetas reversi sumus in nostrum hospitium.